



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P. Christiani Mayer E Societate Iesv, Diarivm  
Meditationvm, De Præcipvis Vitæ Christi mysteriis**

**Mayer, Christian**

**Coloniæ Agrippinæ, 1635**

4. Quod sit memoriale passionis Christi

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60091)

mento etiamnum exercere dignatur, nimirum Medici, Magistri, Redemptoris, Patris, Sponsi; tum eximiarum virtutum, quas in vita mortali exercuit, nobisque imitandas inculcauit, & nunc quoque hic porro exercere, nobisque inculcare pergit, humilitatis, obedientiæ, patientiæ, charitatis, perseverantiæ: humilitatis quidem, dum se ad species panis & vini demittit: obedientiæ, dum ad verbum sacerdotis se præsentem sistit; patientiæ, dum se ab hæreticis, indignè communicantibus, impijs sacerdotibus, tam indignè tractari sinit: charitatis, & misericordiæ, dum fructus passionis suæ tam liberaliter applicare quotidie non desinit; perseverantiæ, dum quoadiu durat species sacramentales, præsens manere non abnuic. Gratitude, amor, feruor has virtutes æmulandi.

IV. *Quod sit memoriale passionis Christi.*

I. **C**Hristus instituit hoc SS. mysterium in memoriam passionis suæ, per modum sacrificij, in quo ipse realiter quotidie immolaretur in cruce, sicque per semetipsum nos sacrificij cruenti olim à se in ara crucis peracti commoneret, idque ex immensa  
dile-

dilectionis erga nos affectu. 1. Ut indicaret quam paratus sit, si opus foret, pro singulis quotidie et uentè rursus immolari. 2. Ut magnitudinem inæstimabilis charitatis, ex qua pro nobis seipsum obtulit eterno Patri in mortè crucis, profundius penetrandam, crebriusque ruminandam ob oculos poneret. 3. Ut, cum impares nos in gratijs pro tanto beneficio agendis cerneret, vices nostras ipsemet suppleret. Gratitude, amor, feruor piè audiendi aut celebrandi sacrum, cum pia passionis Domini memoria.

II. Instituit hoc idem mylterium in memoriam passionis ac mortis suæ per modum conuiuij, in quo ipse realiter in cibum & potum conuiuis proponeretur, ex eodem infinito erga nos amore. 1. Ut sic indicaret, quam libenter pro nobis pati & mori dignatus sit, iuxta illud: *Desiderio desiderauit hoc Pascha manducare uobiscum.* Luc. 22. 2. Ut nos ad amarū tribulationū huius temporis calicem secum auidè ebibendum animaret. 3. Ut magna cum auiditate & spiritali gaudio ad hoc cœleste epulū frequenter anhelandum esse, doceret. Gratitude, amor, feruor piè communionem frequentandi, & multa pro Christo patiendi.

III. In-

III. Instituire demum voluit hoc idē diuinissimum Sacramentum, & sacrificium sub speciebus panis & vini, quorum vtrumque ex plurib. granis conterendo & premendo in vnum coalescentibus conficitur, & vbiq; facile habetur. idque 1. vt ostenderet se optare illud frequentari à fidelibus in charitate vnitis. 2. ab ijs, qui sibi in amore Crucis, tolerantia tribulationū & pressurarum niterentur esse quā simillimi. 3. cum pia recentique sui amore ipsorum in torculari crucis calcati, pressique memoria. Affectus ferē ijdem.

V. *Quod sit efficacissimum medium proficiendi in triplici via perfectionis.*

I. **C**Hristus ipse fons omnis gratiæ & sanctitatis in hoc vno Sacramento, præ cæteris omnibus, per seipsum animæ languenti applicat medicinā, qua minores culparum venialium languores curentur, pericula maiores incurrendi arceantur, tentationum & passionum impetus frangantur, & penarum necdum plenē extolularū reliquiæ expientur: idque per liberalem meritorum suorum applicationem ex gratuita miseratione.

Quanta